De Christo passionem, mortem et resurrectionem suam prædicente,

Dissertatio Theologica

quam

Ex speciali Regis gratia

et Cons. Maxime vener. Theol. Ordine Lund.

publicæ disquisitioni subjicit

A. BRUZELIUS,

Art. Obstr. Adjunctus Extr. Ord., Medic. et Phil. Doct., Chir. Mag., Ord. de Wasa Equ.

Respondente

ANDR. KAHL,

Scano.

In Acad. Carolina die VII Novembr. MDCCCXL.

LUNDÆ,

typis excudit CAROLUS FR. BERLING,

Universitatis Typographus,

MDCCCXL.

§. I.

Viribus extraordinariis, quas Jadaica traditio Messiæ adscribit, adnumeratur quoque, teste Huetio *), prophetica facultas. Non itaque mirum, primos Christianæ religionis defensores, qui contra Judæos Christum Messiam esse ita defenderent, ut hi ad amplectendam fidem evangelicam se duci paterentur, summa ope in id incubuisse, ut evincerent, Jesum Nazarenum fatidica virtute polluisse. Sic Origines, cum errores Celsi etiam in hoc veritatum coelestium articulo refutaret, solita vi et facundia exclamat. "Iste vero incredulus Celsi Judæus, qui vanum putat, quod proditum est de Jesu præscientia, consideret, quemadmodum etiam tum stante Hierosolyma et incolumibus in ea cærimoniis Judaicis prædixerit Jesus, quomodo a Romanis tractanda sit; non enim dicent, quod familiares Jesu auditores absque literis docuerint evangelium et discipulos reliquerint nullis instructos commentariis; scriptum est enim in Evangelio: cum autem videbitis obsessam ab exercitu Hierosolymam, tum scitote in proximo esse desolationem ejus. Certe cum hæc scriberentur, nulli exercitus obsidebant Hierosolymam nec circumvallatam oppugnabant" **). Vestigiis patrum insistentes doctores ecclesiæ optime noti ab antiquissimis usque ad nostra tempora vaticinia non minus Veteris quam Novi Testamenti eorumque exitus inter firmissima Christianæ religionis argumenta existimarunt, et evangeliis convenienter evincere conati sunt, Jesum fata cum sua suorumque, tum doctrinæ suæ atque reipublicæ Judaicæ, clare et perspicue eo ipso tempore, quo quis talia ne suspicari quidem potuit, sic prædixisse, ut historia cum vaticiniis ad amussim congruat. Horum

*) Demonstratio Evangelica, pag. 738.

**) Contra Celsum, lib. II.

vero conamina pro dolor! in multos nostri ævi Theologos parvam vel potius nullam habuerunt vim. Exstiterunt enim sæculo nuper præterlapso et adhuc existunt viri ingenio et doctrina insignes, qui Christi prædictiones, ab Evangelistis memoriæ proditas, ita explicare student, ut prophetica illarum vis et ratio, si non plane tollatur, magna saltem ex parte labefactetur. Scilicet hi viri in dubium vocant, quod ipse Phlegon, teste Origine *), in decimo tertio aut decimo quarto Chronicorum suorum volumine ingenue fatetur, Christum præscivisse futura, et non modo non evangelia nostra ita exponi volunt, ut Judæi fidem in Christum amplecti possint, sed potius ita, ut Christiani fidem in Eum amittant et in errorem Judæorum proclives rapiantur, quo Christus ne propheta quidem, multo minus Deus fuit. Cum vero neque commentationis Academicæ neque libelli, sed magni voluminis esset, omnia, quæ Novatores in hunc sensum disputarunt, percurrere, examinare et refutare, hoc tempore potissimum in argumentis inclytissimi cujusdam Critici, qui instar omnium esse potest, morabimur, ut et vaga atque errabunda illius sententia refellatur, et veritas biblica in debita ponatur luce.

§. II.

Quo melius hæc disquisitio instituatur, primum afferre placet ipsos locos biblicos, ubi Christus passionem, mortem et resurrectionem suam apertissimis prænuntiavit verbis. Matthæus habet **) *Ἀπὸ τότε ἤρξατο ὁ Ἰησοῦς δεικνύειν τοῖς μαθηταῖς αὐτοῦ, ὅτι δεῖ αὐτὸν ἀπελθεῖν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ πολλά παθεῖν ἀπὸ τῶν πρεσβυτέρων καὶ γραμματέων, καὶ ἀποκτανθῆναι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἐγερθῆναι.* et porro ***). *Καὶ ἀναβαίνων ὁ Ἰησοῦς εἰς Ἱεροσόλυμα, παρέλαβε τοὺς δώδεκα μαθητὰς κατ᾽ ἰδίαν ἐν τῇ ὁδῷ, καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Ἰδοὺ, ἀναβαίνομεν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδοθήσεται τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ γραμματεῦσι καὶ κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ. Καὶ παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσιν εἰς τὸ ἐμπαῖξαι καὶ μαστιγῶσαι καὶ σταυρῶσαι· καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται.* Marcus habet †) *Ἦσαν δὲ ἐν τῇ ὁδῷ ἀναβαίνοντες εἰς Ἱεροσόλυμα· καὶ ἦν προάγων αὐτοὺς ὁ Ἰησοῦς, καὶ ἐθαμβοῦντο καὶ*

---

*) Contr. Celsum loc. citat.

**) Cap. 16: 21.

***) Cap. 20: 17, 19.

†) Cap. 10: 32, 34.

ἀκολουθοῦντες ἐφοβοῦντο· καὶ παραλαβὼν πάλιν τοὺς δώδεκα, ἤρξατο αὐτοῖς λέγειν τὰ μέλλοντα αὐτῷ συμβαίνειν· Ὅτι ἰδοὺ, ἀναβαίνομεν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου παραδοθήσεται τοῖς ἀρχιερεῦσι καὶ τοῖς γραμματεῦσι καὶ κατακρινοῦσιν αὐτὸν θανάτῳ, καὶ παραδώσουσιν αὐτὸν τοῖς ἔθνεσι. Καὶ ἐμπαίξουσιν αὐτῷ, καὶ μαστιγώσουσιν αὐτὸν, καὶ ἐμπτύσουσιν αὐτῷ, καὶ ἀποκτενοῦσιν αὐτόν. καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστήσεται. Lucas habet ††) Παραλαβὼν δὲ τοὺς δώδεκα, εἶπε πρὸς αὐτοὺς, ἰδοὺ, ἀναβαίνομεν εἰς Ἱεροσόλυμα, καὶ τελεσθήσεται πάντα τὰ γεγραμμένα διά τῶν προφητῶν τῷ υἱῷ τοῦ ἀνθρώπου. Παραδοθήσεται γὰρ τοῖς ἔθνεσι, καὶ ἐμπαιχθήσεται, καὶ ὑβρισθήσεται, καὶ ἐμπτυσθήσεται· Καὶ μαστιγώσαντες ἀποκτενοῦσιν αὐτόν καὶ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ ἀναστήσεται· Καὶ αὐτοὶ οὐδὲν τούτων συνῆκαν· καὶ ἦν τὸ ῥῆμα τοῦτο κεκρυμμένον ἀπ᾽ αὐτῶν, καὶ οὐκ ἐγίνωσκον τὰ λεγόμενα.

Cui οφθαλμος ἁπλους est, cum has et alias Jesu de morte dira atque resurrectione prædictiones apud Evangelistas *) perlegerit, is non dubitabit, quin Jesus sua fata et præsciverit et apertis verbis multoties prædixerit, præsertim cum videat, ipsos Christi inimicos, nempe Sacerdotes summos et Pharisæos, coram Pilato unam saltem ex his prædictionibus agnovisse, cum dicerent: "Domine, meminimus, impostorem istum vivum adhuc dixisse, se tertio die susscitatum iri" **). Qui vero hypercritica acie hos locos intuetur, is facile in contrariam sententiam se abduci patietur. Exemplo est clarissimus nostri ævi Criticus H. E. G. Paulus, qui in commentario suo ***) Novi Testamenti hæc Jesu vaticinia mirum in modum implicat, torquet et pervertit. Paulus nimirum non potest enuntiationem Lucæ v. 34, qua hic asseverat, ***discipulos nihil dictorum intellexisse, sed esse verbum istud iis absconditum, adeo, ut non intelligerent quæ dicebantur,*** cum iis quæ continentur in præcedentibus versiculis consociare, in quibus dicitur, ***exitum habitura quæ scripta sunt per prophetas de filio hominis, quomodo tradatur gentibus, illudatur, contumeliis afficiatur, conspuatur et postquam flagellaverint et occiderint Eum, tertio die resurgat.*** Aliquid absoni et quasi contradictorii in hac historica Jesu narratione de passione, morte

---

††) 18: 31—34.

*) Cfr. Math. 17: 22, 23; Marc. 8: 31; 9: 31; Luc. 9: 22; 17: 25; 24: 6, 7.

**) Math. 27: 63.

***) Dritter Theil XCV Abschnitt.

et resurrectiene sua et discipulorum ignorantia et inscitia tam aperti, proprii et simplicis sermonis se deprehendere credit Paulus. Sibi itaque persvadet, hos Evangeliorum locos non integros ad nos pervenisse, Jesum tantum de instantibus suis fatis in universum et subobscurius discipulis locutum fuisse, et hæc ipsa Jesu verba deperdita esse, sed loco eorum memoriæ tradita esse, quæ post Jesu funera et in vitam reditum Evangelistæ de his aut ipsi viderunt, aut ab aliis audiverunt. Ne vero injuriam Paulo facere videar, alienam ei affingens opinionem, ipse procedat et causam suam agat. "Entschlossen, inquit, geht er (Jesus) voran (ην προαγων αυτους, Marc.), während seine Vertraute unruhig und mit Bangigkeit ihm folgen (εϑαμβουντο καὶ ακολουϑουντες εφοβουντο). Denn er hatte so eben wieder von vielem bevorstehenden Unglück und seiner nur nach mancherley Leiden zu hoffenden Erhebung oder Anastase mit ihnen gesprochen. Wie aber dieses? Hätte er mit ihnen in den klaren historischen Worten davon geredet, in denen wir jezt in den Evangelien den Sinn, welchen man nach dem Erfolg in seinen Vorhersagungen gefunden hat, ausgedrückt lesen: so wäre die abermalige Versicherung "dass sie nichts von allem diesen verstanden haben, dass seine Rede ihnen wie verhüllt, wie ein Geheimniss gewesen sey, in dessen tieferen Sinn sie nicht eindrangen" Luc. V. 34. offenbar das unverständlichste in der ganzen Sache, und noch unbegreiflicher, als im 77. Abschnitt, wo wir bey Matth. 16, 21. (II. Th. S. 520—524) *) über dergleichen Stellen eine Hauptanmerkung gemacht haben. Lucas, welcher die Unverständlichkeit der damaligen Reden Jesu abermals (Vgl. 9, 45. Mark. 9, 32.) mit den stärksten Ausdrücken anmerkt, giebt uns auch den Aufschluss, warum das γινωσκειν der Jünger (γνωσις ist tiefere Einsicht bes. in prophethische Reden) damals nicht hingereicht habe, den eigentlichen Sinn Jesu auf der Stelle zu fassen und warum sie also erst aus dem Erfolg rückwärts sich diesen Sinn erklärt haben, so dass dieses alles auf uns nicht mehr in Jesu nichtverstandenen Worten, sondern nur in ihrer davon späterhin gemachten Deutung fortgepflanzt werden konnte.

Jesus hatte selbst nicht sowohl in eigenen, als in alten prophetischen Ausdrücken gesprochen. Dies ist die Lösung des Räthsels, welches aus J. wiederholten Gesprächen über sein künftiges Schicksal, verglichen mit der fortdauren-

*) Debet esse 563—572.

den totalen Unwissenheit der Jünger über die wichtigsten Partikularitäten desselben, besonders über die körperliche Auferstehung entsteht. Lukas epitomiert Vs 31. Jesu Reden in den Worten: Siehe, nach Jerusalem reisen wir hinauf und alles, was in den prophetischen Schriften Beziehung auf mich hat, wird geschehen. In den Propheten nun findet sich durchaus nichts, was blos auf das Individuum Jesu sich bezöge und jene Erklärungsweise, nach welcher gegen den klaren Sinn des Contextes eine Menge Persönlichkeiten von J. im A. T. gefunden worden ist, war sogar nicht die Schrifterklärungsart Jesu und der Apostel, dass nicht einmal die palästinensischen rabbinischen Zeitgenossen Jesu ihre Bibel in dieser Manier zu misdeuten pflegten. Erst die nach alexandrinischem Allegorisieren haschende, spätere christliche Gelehrten und sogenannte Philosophen, deren Urbild in dem Dialog mit Tryphon gefunden wird (s. I. Th. S. 75. b. Matth. 1, 22.) fielen in jene blos bey Fremden mögliche, irrtumsvolle Anspielungssucht, welche man späterhin auf Jesus und seine Vertraute zurücktrug, so dass diese schon entweder in vollem Ernst oder durch Akkomodation an eine judaizirende Schriftauslegungsart ihrer Zeit (welche aber, historisch untersucht, gar nicht existierte) überall nichts als Schilderungen aller möglichen persönlichen Umstände des Messias in den heiligen Schriften der Nation gefunden und gezeigt haben sollten. Die Wahrheit ist, dass gelehrte und ungelehrte Juden aus Jesu Zeit, da für sie jene Überreste des hochverehrten Altertums in Palästina beynahe das einzige Buch waren, das Alte und Vergangene, als einen Spiegel des Neuern und der Zukunft betrachteten, dass man folglich, so weit nicht der offenbare, für Juden weniger als für Heydenchristen verkennbare, Wortverstand entgegen war, durch allerley Schlüsse vom Ähnlichen auf das Ähnliche, von der Gattung auf das Spezielle, vom Grösseren auf das Kleinere u. dgl. den Ausgang neuerer Begebenheiten nach den allgemeinen Behauptungen und nach den Beyspielen der Vorzeit zu ermessen versuchte. Auf diese Weise fand Jesus fürs erste das Messianische, (die Erwartung eines der Gottheit würdigen Reichs, die Hofnung besserer Zeiten durch religiöse und äussere Verbesserung seiner Nation) sehr richtig und unmittelbar, wiewohl in mancherley Abstufungen und Gestalten (πολυμερως και πολυτροπως) im A. T. weil würklich die ganze Vorzeit der Hebräer und Juden dieser Wünsche und Divinationen voll gewesen war. Jesu Geist, genährt in

jenen Schriften und mit jedem Denkspruch und Geschichtumstand der Vorzeit aus ihnen bekannt, war ferner (man denke an die Versuchungsgeschichte!) gewohnt, Musterbilder dessen, was zu thun und zu unterlassen sey, dort für sich zu finden. Und konnte er gleich, gerade weil er mit dem Context und Lokalsinn weit bekannter seyn musste, als Heydenchristen von Justin's Gattung, persönliche Anspielungen oder Hindeutungen auf sich — in so vielen Stellen, welche einst, blos wenn gebohrne Nichtjuden sie aus dem Zusamenhang herausrissen, so sehr gemisdeutet werden konnten — weder aufsuchen noch finden, so waren doch drittens, da ihm mit jedem Tag die wichtigste Entwicklungen seiner grossen Unternehmung näher rückten, die Aussprüche der Propheten über das Reich Gottes, seine Kämpfe und Hindernisse, sein Sinken und Wiedererstehen jezt gegenwärtiger, und selbst die Beyspiele dessen, was den verehrtesten Männern der Vorzeit begegnet war, stunden (Joh. 13, 18.) nach Analogien und Parallelismen vor seiner Seele. Dies war nun das von den Propheten geschriebene, was auf ihn in näherer oder entfernterer Beziehung betrachtet werden und bald auf diese bald auf jene Weise auch ihm begegnen konnte. Überall im A. T. hatte das Gute sich nur durch mancherley Kämpfe durchgearbeitet; von allen möglichen Verfolgungsarten gab es dorther Beyspiele zu nennen (Vgl. Hebr. 11, 32—40). An allerley solche Parallelen fieng demnach J. an, seine Jünger zu erinnern; nicht in der Meinung als ob dadurch etwas *durchaus bestimmtes* über sein nächstes Schicksal zum Voraus auszudrücken wäre. Beyspiele waren es, welche zusamengenommen zeigen sollten, dass eben so, wie über die ehemalige Männer Gottes, auch über ihn Unglück von allerley Art ausbrechen werde. Die vergleichende Erinnerung an so mancherley Schicksale, etwa von Henoch, Noah, Abraham, Joseph, Mose, David, Jeremias und andern Propheten war das einzige und beste Mittel, in seinen Vertrauten den Anstoss, welchen unglückliche Erfolge gegen die Sache selbst hervorzubringen pflegen, zum Voraus zu mässigen. Was den besten Freunden Gottes in der heiligen Vorzeit begegnet war, das konnte denn auch auf den Messias eine Zeitlang zusamenstürmen. Auch aus vielem Unglück solten sie dadurch denken lernen, folge doch nicht, dass er Unrecht habe; ein den Menschen so ganz gewöhnlicher Fehlschluss, dass dannoch bald nach seinem Tode manche der Seinigen demselben sehr nahe waren Luk. 24, 21. und auch

damals wieder durch Hinweisung auf alttestamentliche Parallelen und Analogien von J. ermuntert wurden. 25—27. Dass J. von den möglichen Beyspielen aus dem A. T. diejenige ansgewält habe, welche mit seinem vermutlichen nächsten Schicksal die meiste Ähnlichkeit haben mochten, versteht sich denn von selbst. Weil nun aber die Evangelisten daran gar nicht denken konnten, dass man einst einen grossen Werth darauf legen möchte, Jesus als einen *Voraussager* zu zeigen (denn was würde am Ende aus den erwiesensten Voraussagungen folgen, als, was man ohnehin nicht bezweifeln kann, dass nehmlich — Gott *vorauswissend* sey?) so fassen sie, was J. in alttestamentlichen Ausdrücken und Ähnlichkeiten gesprochen hatte, viel kürzer und gerade nur in diejenige Unglückserfolge zusamen, welche die Leidensgeschichte Jesu faktisch enthält. — — Gerne überlässt übrigens der Kommentator einem jeden die Voraussezung, dass J. das Individuellste seiner lezten Schicksale auf Erden bestimmt zum Voraus beschrieben habe, wenn man die alsdann unvermeidliche Fragen auflösen kann: *a.* wie dergleichen blos historische Umstände, bestimmt beschrieben, doch vor dem Erfolg so dunkel, wie Lukas es angiebt, hätten bleiben können? *b.* wozu überhaupt unverstandene Voraussagungen hätten nüzen können? und endlich *c.* wie Jesus aus dem A T ohne überall dem Context Gewalt anzuthun und folglich sich selbst als einen höchstwillkührlichen Schriftausleger zu compromettieren, das Individuelle seiner nächsten Schicksale bestimmt hätte ableiten können, während unter den Juden um ihn her eine solche dem historischen Sinn des A. T:s und den gewöhnlichsten Arten zu schliessen und zu parallelisieren völlig entgegengesezte Methode des Schriftgebrauchs nicht gewöhnlich war? Wer irgend die akkommodative Auslegungsart Jesu zuschreibt, müsste unstreitig zuerst darthun, dass solche Deutungen des A. T:s, nach denen sich J. akkommodiert haben solle, unter den Palästinensern damals im Ansehen gewesen seyen." — Hæc Pauli argumentatio, quæ obitur et veluti per transennam vaticinia Christi intuentibus magnam fortasse verisimilitudinem præ se ferre videtur, accuratius re pensitata gravitatem suam ac pondus amittet. Ut enim ægrotus, nisi morbus incurabilis est, facile sanari solet, modo medicus primam morbi causam detegere possit, ita etiam errans scriptor non multos secum in errores ducet, si modo monstretur, quid sit, quod eum a regia veritatis via deflexerit.

§. III.

Aut valde fallor, aut principalis Pauli error et veluti materia peccans in eo versatur, quod versum Lucæ 34 cum antecedentibus componere non possit, nisi ope hypercriticæ conjecturæ. Hic tamen versus optime cum præcedentibus concordat, quamvis longe alio sensu, quam Paulus opinatur. Vocabula, *αυτοὶ ουδέν τούτων συνήκαν, ἦν τό ρῆμα τούτο κέκρυμμένον ἄπ᾽ αυτῶν, οὔκ ἐγινωσκον τα λεγόμενα,* non respiciunt verbalem antecedentis Jesu vaticinii intellectum, qui apertus et facilis discipulis fuit, sed respiciunt rerum, quæ verbis continentur, comprehensionem, iis obscuram et super captum elevatam. Si ad hoc attendisset Paulus, non opus fuerat ad conjecturam, Harduino dignam, confugere, ut contextum congruum haberet, siquidem contextus seipsum per se satis tuetur, nisi quis de industria argutias sectetur, nodumque, ut ajunt, in scirpo quærere velit. Discipuli nimirum non poterant conjungere notionem quam sibi finxerant de Messiæ gloria et majestate ac regni Messiani magnificentia cum ludibrio, contumeliis, flagellis, cruce atque nece, quæ Christus ut Messias se subiturum asseverabat. Plane alienum et absonum iis videbatur, Eum, a quo non solum liberationem ab imperio Romano, sed etiam victoriam et triumphos super omnes suos hostes expectabant, gentibus traditum et supplicio affectum iri, *τούτο τό ρῆμα ἦν κεκρυμμένον ἄπ ἀυτῶν,* nec speciales passionis et necis casus, quos Jesus describit, et propter quos discipuli vehementi dolore affecti sunt *) et Petrus Jesum increpans exclamavit: *Ιλεῶς σοι Κὺριε, ου μὴ εσαι σοι τοῦτο.* **). Hic discipulorum gravis tristitia unacum mæsta et dolorosa Petri exclamatione mihi satis superque monstrare videtur, Jesum cum iis de passione, morte et resurrectione sua "in den klaren historischen Worten, in denen wir jezt in den Evangelien den Sinn ausgedrückt lesen" omnino locutum fuisse, nec "in alten prophetischen Ausdrücken und Alt-Testamentischen Ähnlichkeiten," quæ certe neque Petro nec reliquis discipulis tam profundum moerorem injecissent. Sed ut viri, quos mysteria redemtionis Divinæ adhuc latebant, discipuli cum reliquis Judæis ne audire quidem voluerunt, multo minus perpendere et intelligere potuerunt spirituale et coeleste reg-

---

*) Math. 17: 23.
**) Math. 16: 22.

num Messiæ, quod obedientia Illius activa et passiva omnique redemtionis opere nititur, sed mundanam potentiam et terrestre imperium animis versabant. Petebat quisque pro se, quod mater filiorum Zebedæi pro filiis *), volebat sedere ad dextram et ad sinistram Jesu, non in regno Ejus, ubi quicumque voluerit magnus fieri, sit minister, et qui optimus esse voluerit, sit servus, "sed in regno, quod opinionis errore sibi finxerat ad similitudinem terreni regni, ubi principes dominantur et magni patestatem exercent **). Sic discipuli quoque hallucinabantur et prorsus nihil comprehendebant vim verborum Jesu, cum iis Spiritus Sancti illuminationem promitteret ***), sed quidam ex iis inter se dicebant, "quid est hoc, quod dicit nobis, pusillum et non videbitis me, et rursus pasillum et videbitis me, et quia ego vado ad patrem?' Dicebant ergo, quid est hoc, quod dicit pusillum? nescimus quid loquatur" †). Sic cum Christus reliquæ Judæorum turbæ diceret, "si ego exaltatus fuero a terra, omnes traham ad me, significans qua morte esset moriturus," respondit ei eadam turba, "nos audivimus ex lege, quod Christus manet in æternum, et quomodo tu dicis: oportet exaltari filium hominis? quis est iste filius hominis?" ††). Et quomodo possent Judæi credere Messiam, a quo tot tantaque miracula et facinora expectabant, ut miserrimum mortalium ignominiosum mortis supplicium esse subiturum? Certe non Judæus sed Christianus esset, qui hoc crederet. Quare discipuli Jesu, quamdiu nationis suæ falsis opinionibus et præjudiciis inhærebant, nec Spiritu Dei edocti erant de fine adventus Jesu in mundum, de diverso Ejus statu, exinanitionis nimirum et exaltationis, deque omnibus, quæ ad mediatorium Illius officium pertinent, non poterant non prædictiones Jesu de passione sua, morte et resurrectione miras et incomprehensibiles existimare. In hoc quoque sensu Jesus, cum Judæis, quod non intellexerunt de Patre, locutus esset, dixit: "cum exaltaveritis filium hominis, tum cognoscetis quod ego sum" †††). Desinamus itaque cum Paulo assumere,

*) Matth. 20: 21.
**) Matth. 20: 25, 26, 27.
***) Joh. 16: 13.
†) Joh. 16: 16, 17, 18.
††) Joh. 12: 34.
†††) Joh. 8: 28.

discipulos necessario vim dictorum Jesu, Luc. 18: 32, 33, fuisse comprehensuros, si Jesus hæc dicta ita pronuntiasset, ut ab Evangelistis afferuntur; et miremur potius, virum tantæ eruditionis et doctrinæ ac Paulum, non distinguere inter cognitionem discipulorum Jesu, qualis esset, antequam Spiritus Dei participes reddebantur et qualis esset post hunc eventum, atque inter nudum et simplicem verborum intellectum, et subtilem atque sublimem rerum comprehensionem, quæ verbis subsunt. Miremur, magnum Criticum ita primas hermeneuticæ sacræ regulas oblivisci, ut textum per se, si historice et ratione habita Judaici ingenii enodatur, nequaquam obscurum explicaturus, supponere non erubescat: "Dass hier Jesu Reden nicht wörtlich, sondern abgekürzt überliefert werden, wie man sie erst nach seinem Tode und seiner Auferstehung verstand und auslegen zu müssen glaubte, dass alle Paralellstellen abgekürzte Reden Jesu und nicht *ipsissima verba* angeben, dass zugleich mit der Abkürzung eine (unwillkürliche) Änderung in den Gedanken vorgegangen sey o. s. v. *), quo posito aperta et sacrilega vis textui sacro infertur ac nulli non figmento via aperitur. Atque sic respondisse nobis videmur primæ quam proponit Paulus quæstioni: (a) "wie dergleichen blos historische Umstände bestimmt beschrieben, doch vor dem Erfolg so dunkel, wie Lukas es angiebt, hatten bleiben können."

§. IV.

Progrediamur itaque ad alteram quæstionem (b), wozu überhaupt unverstandene Vorausagungen hätten nüzen können? Nonne quæso! utile et fructuosum discipulis et aliis Jesu amicis, qui diris Ejus fatis necessario affligerentur et simul contristarentur, cum omnem Messianæ suæ felicitatis spem evanuisse cernerent, in memoriam revocare, Jesum accuratissime cuncta prædixisse et insuper docuisse suum regnum non hujus sæculi esse? Hinc spes eorum refocillata et fides corroborata fuit. Quare Lucas asseverat, mulieres post resurrectionem Christi recordatas esse verborum, quæ Christus, dum in terris esset, prædixerat, nempe oportere filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, et crucifigi et die tertio resurgere **). Et cum Judæi non intellexissent, Jesum loqui de templo

*) Commentar über dass N. T. II. Th. pag. 564.

**) Luc. 24: 7.

corporis sui, cum diceret "destruite templum hoc et in tribus diebus erigam illud," addit Johannes *): "cum ergo resurrexisset a mortuis, recordati sunt discipuli Ejus quod dixisset iis, et crediderunt Scripturæ et Sermoni, quem dixerat Jesus." Heic discipulus Jesu maxime dilectus non dubitat Jesum "als einen Voraussager zu zeigen," et haud obscure indicare, discipulos ejusmodi prædictionibus in fide et persvasione de divina Jesu auctoritate et majestate corroboratos fuisse, siquidem solus Deus et cui Deus id patefacit, futura prævidere et prænuntiare potest. Neque solis discipulis Jesu hæ prædictiones utiles fuerunt. Hinc quoque Ecclesiæ per secula argumentum contra hostes suos suggestum fuit, quo religionis suæ veritatem defendere potuit, et cujus ope multi resipuerunt melioremque fidem amplexi sunt. Non itaque sine sufficiente ratione factum est, ut Jesus discipulis plura prædiceret, et discipuli multa non statim sed temporis demum tractu intelligerent, cum melius instruerentur et participes fierent spiritus veritatis, qui eos de dictis Jesu commonefaceret, qui doceret atque duceret. — Servator ipse dicit discipulis: "Multa habeo præterea vobis dicenda, nec tamen nunc ea ferre potestis" **). Quare non minus falsa quam insidiosa et arrogans nobis videtur paulina illa quæstio: Was würde am Ende aus den erwiesensten Voraussagungen folgen, als was man ohnehin nicht bezweifeln kann, dass nehmlich Gott vorauswissend sey? Liceat nobis potius a Paulo quærere: quid tandem ex ejusmodi conjecturis criticis, quales in commentario sibi permittit, nempe Evangelistas non ipsissima Jesu verba sed sua verba afferre, omnino sequeretur, nisi quod ceterum dubitari non potest, nempe integritatem et reliqua attributa Sacræ Scripturæ, quibus fides nostra Christiana nititur, a Paulo et ejus asseclis plane negari et destrui?

§. V.

Paulus quærit tandem (c) wie Jesus aus dem A. T. ohne überall dem context Gewalt auzuthun und folglich sich selbst als einen höchst willkürlichen Schriftsausleger zu compromettiren etc. Hic sane Paulus non profundam Veteris Testamenti, historiæ, antiquitatis et artis criticæ cognitionem monstrare nobis vi-

*) Cap. 2, 22.

**) Joh. 16, 12.

detur. Primum nimis postulat, cum vult, ut quis sibi probet, accommodativam interpretationem inter Judæos Palæstinenses Christi tempore in usu et honore fuisse. Nos contra credimus, illius officium fuisse argumentis evincere historicis, quod modo supponit suoque periculo assumit, hanc explicandi methodum, quam textui et historico sensui vim inferre credit, posterioris ævi esse. Nam quod dicit: "In den Propheten findet sich durchaus nichts, was blos auf das Individuum Jesu sich bezöge und jene Erklärungsweise, nach welcher gegen den klaren Sinn des Contextes eine Menge Persönlichkeiten von Jesu in A. T. gefunden worden ist, war sogar nicht die Schrifterklärungsart Jesu und der Apostel, dass nicht einmal die Palæstinensischen rabbinischen Zeitgenossen Jesu ihre Bibel in dieser manier zu misdeuten pflegten" continet nullam pro re sua argumentationem, sed modo levem ipsius suppositionem, quæ sine historicis et criticis testimoniis nihil valet. Deinde errat in eo ipso, quod contendit, siquidem constat, interpretationem, quam accommodativam appellat Paulus, jam Christi tempore saltem nonnullis Judæis acceptam fuisse. Aut valde fallimur aut accommodativa interpretatio incidit in allegoricam vel typicam, qua Messias ubivis fere in V. T. præfiguratus contenditur. Philonem jam Christi tempore allegoricæ interpretationi addictum fuisse, e scriptis illius cernitur. Neque Alexandria, ubi vixit Philo, tam longe ab Hierosolymis distat, ut quæ in illa docerentur, in his plane ignota essent. Evangeliorum scriptores ab accommodativa interpretatione non abhorruisse, e sæpe repetito: *ἵνα πληρωϑῇ το ῥηϑὲν ὑπο του προφήτου* *) — — — elucere videtur, et Christus, nisi hac usus fuisset interpretatione, nunquam dicere potuerat, Mosen et prophetas de Ipso scripsisse **). Auctor Epistolæ in Hebræos non tam in typos vel allegorias proclivis fuerat, nisi nonnulli saltem Hebræorum hanc methodum in deliciis habuissent. Quin imo ipsa traditio Judaica indicare videtur usum antiquum accommodativæ interpretationis, siquidem, teste nostro Hallenberg ***), Magistri Talmudici eos, qui modo sensum literalem et historicum V:ris T:ti cognoscunt, vilipendunt et Pharmacopolis assimilant, qui me-

*) Matth. Cap. 27, 35 et pluries alibi.
**) Luc. 24, 44.
***) Historiska Anmärkningar öfver Uppenbarelseboken 1. Del. inled.

dicamina coquunt, quorum vim nesciunt, arcanæ vero doctrinæ (interpretationis allegoricæ et accommodativæ) peritos comparant cum Medicis, qui medicamina præscribunt, quorum efficaciam probe cognoscunt. His rationibus ducti saltem ut probabile assumere posse nobis videmur, fuisse inter Judæos Christi tempore nonnullos, qui literam sui codicis præcipue urgerent, adeoque Messiam paucioribus locis prædictum esse contenderent, et fuisse alios, qui arcanum sensum sequerentur et Eum ubivis prænuntiatum existimarent. Illi accommodativa interpretatione parcius, hi frequentius usi videntur, quemadmodum inter nostros Theologos nonnulli cum Grotio non nisi rara de Christo vaticinia admittunt, alii cum Coccejo Christum ubivis præfiguratum volunt. An vero Christi tempore inter Judæos fuerint, qui cum audacissimis nostri ævi novatoribus contenderent, V:us T:um omnino vaticiniis carere Messianis, nec ne, decernere non ausim. Si ejusmodi infideles fuerint, certe nec multi fuere, nec nisi Sadducæi. Hæc sufficiant ad probandum, Christum etiam speciales vitæ suæ casus in V:teri T:to prædictas esse asseverare potuisse, nec ea re se ut levem et ridiculum interpretem præbuisse aliis Judæis, quam qui Eum Messiam esse negabant, quique adeo per animi duritiem se ipsos occoecabant.

§. VI.

Remotis offendiculis, quæ Paulus projicit integritati Evangelicæ et apertæ Jesu narrationi de passione, morte et resurrectione sua, restat, ut circumspiciamus, an non Christus etiam obscurius et per figuras sua fata prædixerit. In hac investigatione nobis primum occurrit responsio Jesu ad Legisperitos et Pharisæos, qui voluere, ut signa ederet: "generatio prava et adultera signum quærit, et signum non dabitur illi, nisi signum Jonæ prophetæ, quemadmodum enim fuit Jonas in ventre Ceti tribus diebus et tribus noctibus, sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus et tribus noctibus" *). Huc quoque pertinet parabola de patrefamilias, qui plantavit vineam et locavit eam agricolis et peregre profectus est, et misit servos suos et tandem filium suum, ut acciperent fructum ip-

---

*) Matth. 12: 39, 40.

sius, quos omnes occiderunt agricolæ *). Idem involvit similitudo, quam Jesus Nicodemo proposuit: "Sicut Moses exaltavit supentem in deserto; ita exaltari oportet Filium hominis" **). Neque aliud spectant Jesu verba: "animam meam pono pro ovibus; potestatem habeo ponendi eam, et petestatem habeo rursus sumindi eam ***), nisi granum frumenti dejectum in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, si vero mortuum fuerit, multum fructum affert" †), plura ut prætercam effata. Ex his omnibus æquus Evangeliorum interpres facile sibi persvadebit, Jesum passionem, mortem et resurrectionem cum πρός το ῥηθόν tum προς διανοίαν omnino prænuntiasse. Iniquo autem et infideli, qui divina oracula fallacis ratiocinii lance ponderat, neque hæc neque fortasse ulla sufficient argumenta.

Coronidis loco nobis indicandum videtur, recentissimum, quem videre contigit, N:vi T:ti interpretem paulinis erroribus et præjudiciis, quæ heic refutare conati sumus, omnino favere. Sic Heinr. Aug. Vilh. Meijer ††) plane in sententiam Hejdelbergensis illius Theologi, Die Muthlosigkeit, inquit, der Junger nach der Kreuzigung; ihr Zweifel bei der Nachricht von der erfolgten Auferstehung; der Umstand, dass sich Jesus der Auferstandene nur auf die Aussprüche der Propheten, nicht auf seine eigenen Weissagungen beruft; der Umstand endlich, dass nur die Todeskunde, nicht aber die wundersame Auferstehungsweissagung Eindruck auf die Jünger macht, — Alles dies macht es mehr als warscheinlich, dass Jesus nur in allgemeinen symbolischen Ausdrücken das bald nach seinem Tode zu erwartende neue Emporkommen (gleichsam die Auferstehung) seiner guten Sache verkundigt habe, welche unbestimteren symbolischen Ausdrücke erst post eventum die vorligende bestimmte Form erhielten. At non omnes, quo gaudeamus, nostræ ætatis Critici Sacri tam sinistre oracula Christi interpretantur. Pie enim et vere de his disputat celeberrimus Herm. Olshausen †††), cujus au-

*) Matth. 21: 33, sequ. Marc. 12: 1. sequ.
**) Joh. 3: 14.
***) Joh. 10: 15, 18.
†) Joh. 12: 24.
††) Kritisch Exegetischer Kommentar über das N. T. Gött. 1832. Erst. Abt. p. 132.
†††) Biblischer Kommentar über das N. T. Königsberg 1833, Erster Band p. 528.

rea verba heic nostra læti facimus: Mussen wir uns demnach den Erlöser denken lebend und webend in den Weisagungen der h. Schrift, so gevinnt der Ewähnung eben dieser Specialitäten in seinen weissagenden Worten vollkommene Gewissheit.

Theses varii argumenti.

Th. I.

Vocabulum πληρωσαι, Math. V: v. 17. hanc vim habere putamus, ut indicet, Christum non solum docendo et agendo sed etiam patiendo implevisse omnia, quæ in V. T. de Eo prædicta sunt.

Th. II.

Doctrinam de peccato pertinere ad illos articulos fidei, quos Theologi primarios vocant, vel ex eo patet, quod arctissimo nexu cum doctrina de restitutione hominis per Christum copulata est. — Uterque articulus inprimis a sacerdote tractandus et animis auditorum numquam non inculcandus, siquidem Adamus et Christus sunt veluti axes, circum quos volvitur tota coelestis doctrinæ orbita.

Th. III.

Qui in concionibus sacris solum præcepta morum proponunt, neglectis partibus doctrinæ Christianæ dogmaticis, magnopere errant. Utraque doctrina conjunctim certe colenda, quia sicut fides sine operibus est mortua, ita etiam opera sine fide sunt hypocrisis.

Th. IV.

Inter officia, quæ Ministro Ecclesiæ incumbunt, vix aliud majus, quam ut Scholis assidue invigilet, adeo ut pueri a teneris ungviculis cum divina tum humana institutione imbuantur.

Th. V.

Leges Ecclesiasticæ, quæ coemeteria extra urbes et vicos condi jubent, salutarem vim in tollendos morbos epidemicos omnino habuere. Optandum quoque esset, ut funera illa extraordinaria, quæ Svetice bisättningar appellamus, si non plane prohiberentur, parce et brevi ante humationem celebrarentur, ne templa noxiis et cadaverosis vaporibus impleantur. Hæc tamen quæstio non parum pendet ex morbo, cui succubuit mortuus, et ex anni tempore, quo diem obiit supremum.